VIR ILLUSTRIS AC PRAENOBILISSIME,

Quin nouissimae meae recte ad TE perlatae sint, tanto minus du-
bitare licet, quod a Fleischero meo, postquam nuptiis sororis suae
interfuturus Gotham accessit, accepi, voluisse TE ei discedenti litte-
ras ad me dare, sed negotiis grauissimis praepeditum destinata perfi-
cere non potuisse. Utinam tantum TIBI nunc esset otii, ut, si
minus respondere uberius tam cito possis, saltim curare ad me
ex bibliotheca, cui praees, senatoria sub fide cuiuscunque pignoris pos-
sis Sponii librum Gallicum forma quarta Lugduni in Gallia excusum
lingua patria cum titulo: Recherches d'Antiquité. Spondeo, ope-
ram me daturum, ut primo quoque tempore saluus et illaesus ad TE
redeat. Iam ante hos octo annos, cum Lipsiae operis numismatici mei
caussa morarer aliquot hebdomadas, TUO et amplissimi Baudisii bene-
ficio eo sum pluribus diebus, prout recordor, usus: Spero igitur,
fore, ut eius euoluendi copiam, etiam absenti mihi pro singulari humani-
tate et beneuolentia TUA erga me facias. De matrimonio princi-
pum per procuratorem, quaeso TE, VIR ILLUSTRIS, quis et ubi potis-
simum consulendus ex scriptoribus vel nostris vel exteris, qui pro-
stant? Summo me affeceris beneficio, si docere id me quamprimum
non graueris. DEUS TE litteris et politiori orbi seruet! Dabam
Gothae Non. Febr. CIↃIↃCCXXXVI.

ILLUSTRI NOMINI

TUO

addictissimus

Liebe

Leutharius

Gerh. von Elsass

Albertus von Altorf

Radbod von Habsburg

Coll.